



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

IV. Ægil

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**

quòd studiis apprimè intentus Oeconomica parùm curaret, & nimis durus & asper Pater fuerit. Fateor, si lenitatem cum rigore bene potuisset temperare, res meliorem exitum habuisset. (e) Vixit postea in monasterio suo B. Virginis inter perpetuas speculationes & meditationes divinas, ibique mortuus est. (f)

IV. *Ægil.*IV. *ÆGIL.*

B. *Sturmionis* cognatus & popularis, Professus Fuldensis, Venerabilis Pater, religione & doctrinâ valde eximius, Regis & totius Conventûs suffragiis & consensu in Sedem *Rargarii* eodem annò provectus, omnia fecit bene & cum gloria sui. AD. DCCCXVIII. basilicam S. *Bonifacii*, AD. DCCXCI. constructam, (g) reparare cepit. Anno sequente templum S. Salvatoris ab *Heistulpho*, Moguntino Archi-Episcopo, Kal. Novembr. dedicatur cum duabus cryptis. *Ædificavit* etiam capellam S. *Michaelis* Archangeli. Moritur A. D. DCCCXXII. Prælaturæ suæ V.

V. *Rabanus.*V. *RABANUS.*

In omni doctrinæ & scientiæ genere ad prodigium doctus, & magnus pauperum benefactor. (h) Primus ad Germanos invexit Græcicam literaturam. A. D. DCCCXXI. cum Abbate *Brunone* Ecclesiæ Herolveltenensis fundamenta posuit. (i) Cùm Monasterium *Hirsaugiense* iterum instauratum esset, ille XV. Monachos cum Abbate *Lyndeberto* ex Conventu Fuldensî eò misit. A. D. DCCCXXXVIII. Bibliothecam monasticam in tota Germania claram magnâ curâ & labore instituit, præterea processionem in die Palmarum ad montem B. *Virginis*, & à *Gregorio* IV. multa pro Monasterio accepit privilegia. Montem S. *Petri* prope Monasterium, quem *Bangolphus* ceperat struere, ipse continuavit, & S. *Johannis* maximè ornavit. Incertum est, an ex Monasterio pulsus sit à Rege, anno XX. Prælaturæ, seu an spontè id dereliquerit propter morosos monachos, qui torvis eum oculis adspiciebant, quòd precibus & scripturis semper intentus esset, œconomia verò parùm. Certum autem hoc, quòd revocatus sit ab iis, sed noluit redire. Tandem tamen reversus est, & latuit in monte S. *Petri* ad orientalem situm Monasterii, orando & scribendo omnes horas insumens, multorum operum scriptor. Sicut verò flamma sub cinere, quàm primùm aura liberior fâvet, surgit & tendit in altum: ita etiam paulò post divinâ Providentiâ AD. DCCCXLVII. ad altiora honorum culmina V. Kal. Julii perductus est

*Rabanus,*

(e) conf. Brover. L. I. A. F. c. 2. p. 59. (f) num verò anno 817. ut ex Bucelin. P. II. G. S. p. 34. probare vult Fabric. Glor. Fuld. p. 71. Desit, ait Bucel., anno dicto, sc. Abbas esse, non autem statim mortuus est eod. annò. (g) Lamb. ad h. a. (h) Sigeb. Gemblacens. chronograph. ad ann. 851. (i) Lamb. ad h. a.